Praxis Grammatica:

VERVM ET GENVINVM DECLINATIONUM & Conjugationum

usum liquidò indicans, ad solidam & expeditam Etymologiæ Grammaticæ cognitionem assequendam concinnata.

Cui tum Sententiarum, tum Facetiarum selectiorum cumulus accessit.


In usum Schol. Magdal. Oxon.

Maxima pendent ex minimis.

---

by I. Harmar.

LONDINI,
Excudebat IOHAN. HAVILAND,
impensis THO. PAVIER.
M.DC.XXIII.







Lectori benevolo.



Go tecum (amice Lector) planè sentio. Probè conjectas. Prorsus indigna sunt hæc leviuscula quæ in lucem emittantur (de Praxi hac tantùm loquor.) Ita certè se res habet, nec inficias eo, si materiam spectes. Sin verò finem perpendas, aliter existimes. Praxis ista, de qua superiùs, ad captum, in usum, puerorum adhuc balbutientium attemperata est potissimùm, qui è grammaticis cunis primulùm erepserunt. Quibus utique hanc non minùs utilem & commodam, quàm

accommodam futuram arbitror. Huic, uti vides, Sententias *quasdam elegantiores argutioresque cum delectu perquisitas, in quibus inest haud inculta oratio, consultò adjeci. Quinimò, Sententijs hisce apophthegmata aliquammulta ex* Macrobio, Plutarcho,*necnon ex amplissimo illo* Des. Eras: *penu deprompta, quà festiva, quà seria adjunxi, quæ molestias istas præceptoribus obrepere solitas subinde leniant, atque condiant. Quin cesso: ne longiorem justo præfationem minutijs hisce, ac* περιτίσμασι *præfixisse videar. Vale.*

Tuus, *J. H.*







PRAXIS GRAMMATICA.



EGo sum hodie apud te pransurus.
Tu es liberalis convivator.
Ille est librorum helluo.
Hæc cantilena est suavissima.
Hæc avis est implumis.
Hic paries est lateritius.
Hoc templum est ornatum.
Hic puer est comes jucundissimus.
Fratres tui sunt doctissimi viri.
Nos sumus sorores viri optimi.
Vos estis victores, nos victi.
Vnus vir est quasi nullus vir.
Non eram in schola hodie.
Heri tu non eras in templo.
Frater tuus non erat in pomario nostro, nec quis alius.
Nos eramus domi vestræ.
Vos eratis domi nostræ.

Vestri parentes hodie erant domi meæ.
Hodie non fui in schola, nec tu fuisti in ea.
Tu idem es qui olim fuisti.
Hic puer semper fuit melior fratre suo.
Hesterno die fuimus in horto vestro.
Vos fuistis in templo Mariæ Magdalenæ.
Hîc fuerunt toti modij cerasorum, & pomorum.
Nemo fuerat heri in atrio, quòd sciam.
Superiore hebdomade fueras in ambulacris nostris.
Frater tuus fuerat apud me nudiustertius.
Meæ sorores pridie non fuerant in triclinio.
Ero posthac diligentior.
Cras manè eris apud me.
Hic puer erit aliquando vir doctus.
Posthac (annuente Deo) diligentiores erimus.
Vos eritis mihi multò gratissimi.
Amici qui ex animo diligunt, erunt mihi longè charissimi.
Esto pius & studiosus.
Quilibet scholaris esto ad prælectionem attentus.
Estote fideles, & eritis felices.
Omnes pueri cras sub diluculo sunto in schola.
Hæc ita sunto.

Frater tuus me rogat ut ſim ſtudioſus.
Rogo te, ut ſis bonarum literarum avidus.
Sit hæc nox tibi tranquilla, & fauſtiſſima.
Præceptores rogant nos diſcipulos, ut ſimus diligentiores anno ſequente, quàm fuimus præterito.
Vos hortor, ut ſitis amicis intimis fidiſſimi.
Hortare condiſcipulos tuos ut ſint ad ſcholam maturè.
Rogabam fratrem tuum, ut eſſet meus amicus, ſicut antea ſemper fuit.
Rogabas nos ut eſſemus amici tui.
Pater tuus rogabat me, ut eſſem ſocius tuus in ſtudijs.
Mater mea rogavit præceptorem meum, ut eſſet mihi aliquanto mitior.
Præceptores ſæpius hortati ſunt diſcipulos ſuos, ut eſſent valde ſtudioſi.
Sæpenumero rogavi vos, ut eſſetis mei memores.
Sis bonus ô felixque tuis.
Si ſim bonus, beatus ero.
Si quis ſit egenus, laboret.
Si ſitis pij, Deus vos amabit unicè.
Si non ſimus cauti, præceptor nos opprimet hic ludentes teſſeris.
Vtinam hic puer meus eſſet ſodalis.
Neſcio an hæ pennæ & fiſtulæ ſint meæ.

Non dubito quin ſis honeſtus puer.

Si fuiſſem in templo, audiviſſem concionem.

Si tu fuiſſes domi noſtræ, ediſſes poma, & nuces.

Si frater tuus fuiſſet eruditus, accepiſſet à me pennam inauratam.

Si fuiſſemus in horto Regis, vidiſſemus roſas, & violas ſuaviſſimas.

Si fuiſſet in ſchola, præceptor dediſſet tibi ceraſa quatuor, & tria pyra.

Si Petrus, & Gulielmus, & Georgius, & filius præceptoris natu maximus, fuiſſent unà mecum in foro, coemiſſem ſingulis illorum complures ſagittas.

Si fuero apud te aliquantiſper, docebo te aliquas Grammaticæ regulas.

Neſcio, an heri fueris in ſylva.

Neſcit pater ubi vos jam ſitis.

Neſcio ego quis ſit hic peregrinus.

Audio, quòd tui fratres ſint boni adoleſcentes.

Cùm heri eſſem in ſchola, dixeram te pœnas daturum fore ob negligentiam.

Cùm fuiſſem nudiuſquartus apud matrem tuam, illa me juſſit ire adversùm tibi.

Cùm eſſetis Pariſijs reliquiſtis me in cunis vagientem.

Audio, quod tu sis puer bonus.
Audio te esse bonum puerum.
Audio canes vestros venaticos esse voraces.
Credo te fuisse facundum oratorem.
Credo quòd fueris facundus orator.
Credo hæc pyra non fuisse tibi grata.
Credo quòd hæc pyra non fuerint tibi grata.
Spero me futurum esse tuum convivam.
Spero quòd ego cras sim futurus tuus conviva.
Credo sororem tuam futuram esse bonam fœminam.
Spero nos futuros esse doctos.
Spero, quòd futuri simus docti.
Spero hanc herbam esse salubrem.
Amo Deum Patrem cœlestem, qui creavit me.
Nihil æquè amas, ac Iesum Christum Salvatorem tuum.
Me perinde amat ac si essem frater ejus.
Nos vicissim te amamus.
Vos amatis lautas cœnas.
Illos ego felices duco, qui probitatem amant.
Antehàc amabam te cùm esses studiosus.
Amabas, memini, bonas artes, cur non ampliùs illas amas?
Amabat me cùm essem puer.

Amabamus ſorores tuas cùm eſſent apud nos.

Amabatis pyra cùm eſſetis adoleſcentes.

Noſtri præceptores amabant fratres tuos cùm eſſent ſtudioſi.

Amavi te à puero.

Amaviſti me viciſſim.

Frater tuus ſemper amavit arcum, & calamos.

Semper amavimus eos, qui ſunt nobis ſimiles.

Amaviſtis me propterea quòd amavi vos.

Qui rectè faciunt lucem amant.

Amaveram te, ſed tu non amaveras me viciſſim.

Si amabis me, ego viciſſim te amabo.

Boni bonos amabunt.

Vale, & me ama.

Amate pietatem, & liberales artes.

Rogo te ut ames parentes tuos.

Rogas me ut amem fratrem tuum.

Hortabor illum ut amet libros bonos.

Ego ſæpiuſculè rogavi te, ut amares Nicolaum condiſcipulum tuum.

Pietatem ames, & eris beatus.

Omnis puer præceptorem ſuum veneretur, & amet.

Amemus Deum, & proximum noſtrum.

Neſcio an ametis me, ſicut ego vos amo.

Amarem

Amarem te, si talis esses, qualis videris.

Si amarent me, ego illos vicissim amarem.

Si amavissem fratrem tuum, ille quoq; amavisset me.

Amavissemus sorores tuas si fuissent bonæ.

Si me amaveris, pergratum mihi feceris.

Vtinam semper amavissem pietatem.

Vtinam homines semper amarent Deum.

Audivisti me amare tuos amicos.

Audivisti quòd amem tuos amicos.

Scis me amavisse Petrum fratrem tuum.

Audio has mulieres semper amavisse viros suos.

Audio quòd hæ mulieres semper amaverint viros suos.

Spero me amaturum esse libros bonos.

Spero quòd amaturus sim libros bonos.

Spes est vos me amaturos esse.

Spes est quòd me sitis amaturi.

Amandum est mihi.

Amando, & laudando puerum, efficies eum valde studiosum.

Frater meus habet propositum amandi bona studia.

Venio ad amandum sororem tuam.

Venio ut amem sororem tuam.

Propero ardentiùs amatum eos, quos tu laudas.

Venio laudatum pennas tuas.
Venio laudare pennas tuas.
Venio ut laudem pennas tuas.

Frater tuus dignus est amatu.
Hæc res est facilis amatu.
Pueri amantes pietatem sunt chari Deo.
Deus dat omnia bona amantibus illum.
Qui se verè amaturus est, Deum priùs amet.
Venimus laudaturi Scholam vestram.
Amor à meo patre quando sum bonus & diligens.
Nostrates amantur à vestratibus.
Homo pius amatur à Deo & sanctis angelis.
Amabar à præceptore cùm essem in schola vestra.
Amatus sum à patre tuo, quia ego te etiam amavi.
Boni libri & utiles semper amati sunt à bonis viris.
Bonæ pennæ semper amatæ erant ab hoc puero.
Amaberis à Deo & hominibus si fueris pius & bonus.
Ama tuos condiscipulos, ut vicissim ameris ab ijs.
Amaremur à tuis fratribus, si quotidie daremus eis pyra, & poma, & cerasa.

Si amatus esses à nobis, proculdubiò amati essemus à te vicissim.

Nescio an amer à te, & patre tuo.

Ego puto doctrinam, & virtutem amari ab omnibus hominibus.

Video me valde amatum esse à tuis parentibus.

Video, quòd valde amatus sim à tuis parentibus.

Spero me amatum iri à vobis.
Spero fore ut amer à vobis.

Credo hanc thecam scriptoriam amatum iri à te.
Credo fore, ut hæc theca scriptoria ametur à te.

Puto hæc poma amatum iri à condiscipulis meis.
Puto fore ut hæc pyra amentur à condiscipulis meis.

Boni libri amandi sunt nobis, aut à nobis.

Præcepta Dei amanda sunt à nobis.

Libenter doceo bonos pueros.

Quare non doces fratrem tuum?

Heri docebam fratrem tuum primam declinationem.

Ego sæpe docui te litteras.

Docueram fratrem tuum multa vocabula Latina, sed ille oblitus est omnium.

Ego

Ego te idem docebo quod pater meus me docuit.

Docete, quæso, me ea quæ nescio.

Qui doctior est alijs, ille doceto reliquos.

Valde rogor à fratre tuo ut doceam eum Latinas declinationes.

Petebam à tuo fratre ut doceret me linguam Latinam.

Nescio quis jam doceat fratrem tuum litteras.

Haud scio cùr ampliùs doceas pueros otiosos, & contumaces.

Nescis, an rectè docueris me artem sagittandi.

Cùm doceas me, docebo te vicissim.

Cùm præceptor noster heri nos doceret in schola, mater tua petebat ab eo ludendi veniam.

Vtinam pater tuus, qui vir doctus est, docuisset me Grammaticam Latinam.

Cùm Lucilius docuisset fratrem meum tres menses, statim rus abibat.

Si docuero te prælectionem tuam, tu mihi dabis quatuor, vel tria, vel saltem duo poma.

Vides me docere te fideliter.

Vides, quòd doceam te fideliter.

Valde miror te non docuisse Petrum filium tuum Orationem Dominicam.

Crede me fideliter docturũ esse tuos fratres.

Crede quòd fideliter docturus sim tuos fratres.

Eo doctum septem puerorum classes.
Hæc res est doctu difficilis.
Docendum est mihi complures peregrinos gratis, quippe quòd pauperes sint.
Audio docendum esse tibi adolescentes quosdam viros nobiles.
Audio quòd docendum sit tibi adolescentes quosdam viros nobiles.
Ibo ad docendum sororem tuam musicam.
Venio causa docendi te Artem supputandi.
Alios docendo teipsum docebis.
Nudiusquartùs, aut saltem nudiusquintùs vidi sororem tuam docentem ambas sorores meas.
Injucundum est opus docentis, & anxietate plenum.
Ille qui docturus est alium, priùs seipsum doceat.
Docemur à vobis linguam Latinam.
Docebar artem scribendi in juventute mea, sed sine aliquo fructu.
Nos adhuc pueri docebamur multa vocabula Latina.
Vos docti estis epistolam perscribere ad patrem vestrum.
Hæc puella docta est saltare.
Meæ sorores doctæ erant nere, & tenere lanam, ac telam.

Iam fortaſſis ab hoc viro docebor ea, quæ hactenus à nemine doctus ſum.

Si docearis à me linguam Latinam, tu mihi ampliſſimam dabis mercedem.

Si docerer à te artem piſcatoriam, darem tibi centum poma matura.

Intelligis me doceri linguam Græcam.
Intelligis quòd linguam Græcam docear.

Audiebam vos doceri linguas peregrinas.

Audivi fratres tuos nondum doctos eſſe linguam Gallicam.

Audivi quòd fratres tui nondum docti ſint linguam Gallicam.

Spero me doctum iri linguam Græcam.

Spero fore, ut docear linguam Græcam.

Spero ſorores tuas doctum iri artem Textoriam.

Spero fore, ut ſorores tuæ doceantur artem Textoriam.

Libenter lego litteras tuas, quas ad me ſcribis.

Legebam fratri tuo unas litteras, quas ad eum ipſe pridie perferebam.

Libentiſſimè legimus litteras, quas heri ad nos tam amicè miſeras.

Quamprimùm legeram heſternas litteras, ſtatim ad te reſcripſi.

Cras legam litteras, quas accepi à quodam, qui in hac vicinia habitat.

Lege Ciceronem ſummum oratorem, aut ſi mâvis, Terentium politiſſimum autorem.

Sæpiuſculè à me contendis ut legam Cæſarem puriſſimum hiſtoriæ ſcriptorem.

Rogabas me ut legerem Plautum feſtivum comicum.

Non ignoras me libenter legere Eraſmi Colloquia, & Corderij Dialogos eleganter Latinè ſcriptos.

Audio te legiſſe Politiani Epiſtolas quas Lipſius tantoperè laudat.

Spero vos lecturos Ovidium & Virgilium Latinorum Poëtarum principes.

Veni huc lectum epiſtolam patris tui.

Hic liber eſt lectu jucundiſſimus: non memini me unquam jucundiorem vidiſſe.

Hæc linea eſt admodum difficilis lectu.

Legendum eſt tibi epiſtolas elegantiuſculas.

Valdè cupidus ſum legendi hunc librum.

Veni huc legendi cauſa.

Legendo multum, non multa, quotidie proficies.

Pueri ſæpe legentes lectiones facilè illarum meminerint.

Spero te lecturum concionem tuam. }
Spero quòd lecturus ſis concionem tuam. }

In ſchola ſæpe legor in catalogo nugantium.

Epiſtola bene ſcripta jucundè legitur.

Hic liber legebatur nudiustertius à matre tua.

Tu sæpe lectus es in schedulis absentium.

Hic litterarum fasciculus nondum lectus est à præceptore meo.

Epistola tua satis maturè lecta erat à fratre meo.

Non legar hodie in schedulis absentium, quia hac septimana semper affui in schola.

Circa meridiem epistola tua legetur.

Nescio an meæ litteræ libenter legantur ab amicis meis.

Si ego tam sæpe legerer in catalogo absentium, quàm tu & fratres tui, proculdubiò verberarer à præceptore.

Audio multas epistolas à te legi. }

Audio quòd multæ epistolæ à te legantur. }

Audio libellum tuum nuper excusum lectũ esse à Principe.

Audio quòd libellus nuper excusus lectus sit à Principe.

Hodie vidi litteras complures, Oxoniâ vel Londino allatas ad patrem tuum, diligenter lectas esse.

Liber hic legendus est nobis omnibus, *vel* à nobis omnibus.

Legendo Ciceronem fies quotidie doctior.

Legendis epistolis Plinij & Politiani, plurimum

mùm acues ingenium, & orationem tuam reddes politiorem.

Audio nihil libentiùs legi quàm verbum Dei.

Valde inviti audimus ea quæ non placent.

Audiebam heri veſtra poma ſatis eſſe matura.

Audivi condiſcipulos meos legentes lectiones ſuas.

Sorores tuæ magna cum moleſtia audiverant clamores veſtros cùm eſſetis in horto.

Audiam te libenter ſi quid habeas quod mihi narres.

Audiemus excuſationem tuam ſiquam potes afferre juſtam & idoneam.

Audi me priùs, poſteriùs audiam te.

Libenter audite ſacras conciones.

Loquere clariùs ut audiam te meliùs.

Libentiſſimè te audirem, ſi tantillum otij mihi ſupereſſet à re mea.

Libentiſſimè audiremus orationem tuam, ſiquam haberes ornatam ſententijs.

Si audivero te eſſe ſtudioſum & diligentem, accipies à me dono quinque ceraſa & uvas paſſas decem.

Cùm fabulam audiviſſem, mirari cœpi, & increpare mendacem puerum.

Credo te non audiviſſe hodie buccinam meam ſuaviter ſonantem.

Credo quòd non audiveris buccinam meam suaviter sonantem.

Ego arbitror nos hinc ad diem octavum audituros fratrem tuum recitantem carmina sua.

Eo, imò propero auditum sacram concionem quæ habetur in templo Sancti Petri horâ decimâ.

Id profectò quod mihi narras admodum jucundum est auditu.

Attentè audiendum est mihi quid pater tuus dicat.

Tempus audiendi concionem prope jam instat.

Veni ad scholam audiendi & discendi causâ.

Boni pueri sunt cupidi audiendi præceptorem suum.

Audiendo verbum Dei rectè pernosces rationem perveniendi ad salutem æternam.

Spero me auditurum Latinam comœdiam in aula vestra.

Soror mea sub diluculo surrexit, preces auditura lectas in triclinio.

Non audior ab omnibus qui jam adsunt.

Verbum Dei attentè audiendum est ab ijs qui salutem per Christum adipisci volunt.

Non audiebar a præceptore quando narrare volui fabulam de gallo gallinaceo.

Frater tuus auditus est à patre meo cùm nar-

taret quot piſces lacu noſtro exceperat.

Nunquam rectè audiemur ab ijs qui inviti audiunt.

Si audirer à vobis, vos viciſſim à nobis audiremini.

Exiſtimo facundum & feſtivum oratorem magnâ cum voluptate audiri à ſtudioſis adoleſcentibus.

Credo ſummos oratores ægrè auditos eſſe ab ijs, qui eloquentiam deſpiciunt, arteſque omnes nihil penſi habent.

Spero me diligenter auditum iri à præceptore, cùm ad ſcholam venero.

Credo matrem tuam non auditum iri à patre meo.

Auditus à Iudice, domum redij.

Verbum Dei attentè & reverenter audiendum eſt.

Studium tuum audiendæ concionis ſacræ mihi perplacet.

ANtidotum vitæ, *Patientia* eſt.

Sal vitæ, *Amicitia.*

Sol vitæ, *Sapientia.*

Maxima quæque vitæ oblectamenta inſulſa ſunt & inſuavia.

Multi nimium habent, nemo ſatis.

Præferendus eſt dies unus ſapientis longiſſi-

mæ æternitati ſtultorum.

Non eſt pauper qui caret,ſed qui eget,qui deſiderat.

Riſus nec multus ſit,nec ob multa.ex *Epictet.*

Sis tu alienis lachrymis cautior:

Alieno riſu lætior.

Magnes amoris amor eſt.

Nihil eſt quod ſic eliciat amorem ut amor. Hinc illud Martialis, *-- ut ameris ama.*

Eſt naturalis quædam in rebus conjunctio & harmonia, ut nemo illum oderit, à quo diligitur.

Decet eum qui dat,non meminiſſe beneficij: eum verò, qui accipit,intueri non tam munus, quàm dantis animum. Idcirco fingunt tres eſſe *Gratias*, duas nunquam retroſpicere, tertiam ſemper priores intueri.

Bonus,bonus eſt & bonis,& malis:

Malus,nec malis,nec bonis.

Priuſquam incipias, conſulto: & ubi conſulueris,maturè facto opus eſt.

Dei auſpicijs atque ductui te totum in hac vitæ militia permittas,& imperijs obtemperes, & exemplum æmuleris.

Ne feceris,quod factum nolis.

Modica deambulatio corpuſculum reficit: immodica conficit.

Quod commodavit fortuna,tollet.

Quod

Quod mutuavit natura, repetet.

Quod paraverit virtus, retinebis.

Non refert quàm diu vixeris, ſed quàm benè.

Vita illa quæ bona eſt, longa eſt.

Deſpicere oportet, quod poſſis deperdere.

Populo cede, non pare. Non eſt enim cum multitudine pugnandum belluâ multicipiti, ſed nec ejus opinionibus aſſentiendum.

Non refert quà, ſed quò.

In omni loco, in omni fortuna licet rectè agere, & illò pervenire quò intendimus.

Voluptas eſt ut apis, mella quum fudit, fugit.

Ebrietas nec madida, nec ſicca te opprimat.

Charum eſt quod precibus emitur.

Emere malo, quàm rogare.

Magnum pretium ſunt preces.

Calumniæ morſui nullum eſt remedium.

Fortuna proſpera gubernanda arte, conſilio, prudentiâ, ingenio: irata retundenda magno robore, & invicto animo ſuperanda & calcanda.

Sis tu bonorum rector; malorum victor.

Studia noſtra non tam intermittenda ſunt, quàm remittenda.

Chriſtus vitæ noſtræ ſcopus eſt: ipſe eſt initium, ipſe finis, ab ipſo proficiſcuntur omnia, in ipſum tendunt. Huic oportet nos affigamus,

si volumus beati esse, non alio clavo quàm mente ipsa.

Posse nocere, & nolle, nobile.

Ejusdem est artis rectè tacere, & rectè loqui.

Quantò plus liceat, tantò minùs libeat.

Ignoscas alijs multa, nihil tibi.

Nolo minor me timeat, despiciatque major.

Vive memor mortis, memor ut sis salutis.

Tristia cuncta exuperes, aut *Animo*, aut *Amico*.

Amicum laudato palam, sed errantem occultè corripe.

Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.

Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi.

Ames parentem, si æquus est: sin aliter, feras.

Amici vitia si feras, facis tua.

Absentem lædit, qui cum ebrio litigat.

Summum malum optat avaro qui vitam illi optat diutinam.

Amicos res secundæ parant, adversæ probant.

Aleator quantò in arte peritior est, tantò nequior.

Habere satius est, quàm avere.

Bis gratum est, quod opus est, ultrò si offeras.

Beneficium dare qui nescit, injustè petit.

Beneficium

Beneficium accipere, est libertatem vendere.
Bis peccas, cùm peccanti obsequium accommodas.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Beneficium qui se dedisse dicit, petit.
Conjunctio animi, maxima est cognatio.
Arctiús alligat mutua benevolentia, quàm affinitas sanguinis.
Beneficium qui sæpe dat, docet reddere.
Bis vincit, qui se vincit in victoria: primùm hostem, deinde animum.
Benè cogitata si excidunt, non occidunt.
Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Cuivis dolori remedium est patientia.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet.
Stultum est maledicere: nam si amicus est cui maledicis, iniquè facis: sin inimicus, magis illum irritas.
Tutissimum est, esse lentas consultationes, nam præcipitata consilia fere inauspicata sunt.
Difficilem oportet aurem habere ad crimina.
Lucrum cum jactura famæ, damnum est, non lucrum.
Ex vitio alterius, sapiens emendat suum.
Etiam pilus unus habet umbram suam.
Fortunam citiùs reperias, quàm retineas.
Formosa

Formosa facies muta commendatio est.

Dolus est accipere beneficium à quoquam, cui non possis tantundem reddere.

Quoties fortuna favet improbis, hoc fit calamitate & malo optimorum.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

Magnæ felicitatis comites sunt *Stultitia* & *Arrogantia*.

Fidem qui perdidit, nil ultra potest perdere.

Durum est lædi, vel ab *amico*, vel à *potente*: quod queri de altero non est honestum: de altero non est tutum.

Prioris diei discipulus est posterior.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Nihil tam dulce est, quod non pariat satietatem, nisi varietate condiatur.

Quod superiores peccant, id recidit in malum plebis.

Luxuriæ multa desunt, avaritiæ omnia.

Invidiam ferre, aut fortis, aut fortunatus potest.

Invidiam enim fortunatus negligit, fortis contemnit.

Ira statim subsidit, odium diuturnum est.

Sapientis non est contemnere hostem, quantumvis humilem: potest enim oblata occasione nocere.

Iudex damnatur, cùm nocens absolvitur.

Quisquis

Quisquis admittit scelus, illicò sibi damnatus est judice conscientiâ, etiamsi judex nemo pronunciet.

Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.

Legem nocens veretur, fortunam innocens.

Molesta est mora in omni re, tamen ea nos reddit sapientes, ne quid agamus temerè aut inconsultò.

Malè vivunt qui semper se victuros putant.

Minùs decipitur, cui negatur celeriter.

Multos timere debet, quem multi timent.

Negandi causa avaro nusquam deficit.

Quotidie damnatur qui semper timet.

Semper ætas vergit in pejus, & mores hominum indies magis ac magis degenerant.

Stultum est timere, quod vitari non potest.

Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.

Avarus & suis & alienis ex æquo caret.

Sententiæ.

MAgnus erroris magister, populus.

Assuescat unusquisque jam tum à puero veras habere de rebus opiniones, quæ simul cum ætate adolescent.

Eligenda

Eligenda est optima vitæ ratio, hanc consuetudo jucundissimam reddet.

Homo ex corpore constat & animo.

Corpus habemus ex terra & his elementis quæ cernimus ac tangimus, corporibus bestiarum simile.

Animum divinitùs datum, Angelis & Deo similem, unde censetur homo, & qui solus meri ò esset homo appellandus, ut maximis viris placuit. Animus enim cujusque is est quisque.

Regina & princeps rerum omnium præstantissima est *Virtus*, cui reliqua omnia si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

Divitiæ non sunt gemmæ aut metalla, non magnifica ædificia, vel supellex instructa: sed non ijs carere quæ sunt ad tuendam vitam necessaria.

Corpus ipsum nihil aliud est, quàm tegumentum vel mancipium animi, cui & natura, & ratio, & Deus jubent subjectum esse, ut brutum sentienti, mortale immortali ac divino.

Quid aliud est vita, quàm peregrinatio quædam, tot undique casibus objecta & petita, cui nullâ horâ non imminet finis, qui potest levissimis de causis accidere?

Quemadmodum in via, sic & in vita, quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitus, hoc leviùs & jucundiùs iter facit.

Divitiæ,

Divitiæ, & possessiones, & vestimenta in usum tantùm parantur. Non adjuvant quenquam immensæ opes, sed opprimunt, ut navem ingentia onera.

Aurum nisi utare, parùm differt à cœno, nisi quòd magis angit ejus custodia: & efficit ut dum uni studes, ea negligas, quæ sunt homini maximè salutaria.

Divitiarum maxima pars, ædificia, supellex numerosa & opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis, & comparantur, & exponuntur, non possidentium usibus.

Quid aliud est nobilitas, quàm nascendi sors & opinio à populi stultitia inducta? ut quæ sæpenumero latrocinijs quæritur.

Vera & solida nobilitas à virtute nascitur: stultumque est gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus; & turpitudine tua dedecori sis pulchritudini generis.

Ignobilitatem contemnere, est Deum nascendi authorem tacitè reprehendere.

Potentia quid est aliud quàm speciosa molestia? in qua si quis sciret, quæ solicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorũ mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut gravem miseriam.

Quantum est odium si regas malos, quanto

majus ſi malus ipſe.

Quid in ſomno, quid in ſolitudine inter ſummum regem intereſt, & infimum ſervum?

In corpore ipſo quid eſt forma? nempe articula bene colorata. Si intraria cerni poſſent, quanta vel in corpore ſpecioſiſſimo cerneretur fœditas?

Lineamenta & corporis decor quid juvant, ſi turpis ſit animus? & (ſicut Græcus ille dixit) In hoſpitio pulchro hoſpes deformis?

Forma, vires, agilitas, & cæteræ corporis dotes, ut floſculi celeriter marceſcunt, exiguis caſibus diffugiunt. Vel una febricula validiſſimum quandoque hominem concutit, & ſummum decorem tollit.

Nemo poteſt externa, jure *ſua* dicere, quæ tam facilè ad alios tranſeunt: nec corporea, quæ tam citò avolant.

Quid quòd hæc quæ multi admirantur, magnorum vitiorum ſint cauſæ, velut inſolentiæ, arrogantiæ, ſocordiæ, ferocitatis, livoris, æmulationis, ſimultatum, rixarum, bellorum, cædis, ſtragis, cladis?

Ex luxu & intemperantiâ, morbi plærique ad corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna, tum ad animum certa pœnitentia, & hebetudo ingenij, quod delicijs corporis extenuatur, ac frangitur.

Maximum

Maximum malum putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: ſed vitia, & his proxima, inſcitiam, ſtuporem, dementiam.

Magnum bonum credito horum contraria, virtutem, & quæ huic ſunt finitima, peritiam, acumen ingenij, ſanitatem mentis.

Si externa bona habeas, proderunt tibi ad virtutem relata; oberunt, ad vitia: ſi non habeas, cave ne quæras vel cum minimo virtutis diſpendio.

Quo curatius eſt corpus, hoc animus neglectior.

Quo mollius habetur corpus, hoc acriùs menti reluctatur; & ut equus delicatè paſtus ſeſſorem excutit.

Gravis ſarcina corporis animum elidit, acumen ingenij ſaginâ corporis, aut indulgentiâ retunditur.

Cibi, ſomni, exercitationes, tota corporis curatio, ad ſanitatem referenda eſt, non ad voluptatem, ut animo promptè inſerviat.

Nihil eſt quod æquè, & vigorem mentis debilitet, & robur ac nervos corporis infringat, ut voluptas: quippe vires omnes & corporis & mentis, opere ac labore vegetantur: otio ac mollitie voluptatis langueſcunt.

Mundicies

Mundicies corporis & victus citra delicias, aut morositatem, ad valetudinem & ingenium confert.

Ablues subinde manus & faciem frigidâ, detergeique mundo linteolo.

Arceatur frigus quùm ab alijs partibus, tum vel maximè à cervice.

Ne statim edas à quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter.

Ientaculum sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, non satietati.

Tres aut quatuor panis bucceæ sufficiunt sine potione, aut certè exigua, atque ea tenui: salutare hoc non minùs ingenio quàm corpori.

In prandio & cœna assuesce non vesci, nisi ex uno obsonij genere: eodem simplicissimo, &, quantùm per facultates licebit, saluberrimo, quamvis multa mensæ inferantur.

Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum.

Natura necessaria docuit, quæ sunt pauca, & parabilia: Stultitia superflua excogitavit, quæ sunt infinita, & difficilia.

Naturæ si des necessaria, delectatur & roboratur tanquam proprijs: sin superflua, debilitatur, & affligitur tanquam alienis.

Stultitiam necessaria non explent: superflua cùm obruant, non satiant.

A cœna ne bibe, aut si id admonet sitis, sume humidum aliquid, & frigidiusculum, aut perpusillum tenuis potiunculæ.

Inter eam potionem, & quietem interpone, quum minimum, horæ dimidium.

Exercitationes corporis non erunt immodicæ, cæterùm aptandæ rationi valetudinis.

Somnus sumendus est tanquam medicina quædam, curando corpori: tantummodò quantus sufficit. Immodicus enim reddit corpora redundantia noxijs humoribus, segnia, pigra, lenta, & celeritatem mentis tardat.

Non est existimandum vitæ id tempus quod somno impenditur: vita enim vigilia est

Non attingendi sunt authores spurci, ne quid sordium animo ex contagie adhæreat.

Tribus velut instrumentis fabricamur eruditionem, ingenio, memoriâ, curâ.

Ingenium, exercitatione acuitur: Memoria, excolendo augetur: Vtrumque enervant deliciæ, bona valetudo confirmat.

Scito te operam & tempus perdere, si, quæ legis, vel audis, non attendas.

Quæ ignoras, ne pudeat quærere. Ne erubesce à quovis doceri, quod maximi viri non erubuerunt: erubesce potiùs ignorare, aut nolle discere.

Si videri vis doctus, da operam ut sis: nulla

eſt compendioſior via. Quemadmodum non alia ratione faciliùs conſequeris, ut exiſtimeris bonus, quàm ſi ſis talis.

Quicquid videri cupis, fac ut ſcis: aliter fruſtra cupis.

Falſa tempus infirmat, vera confirmat.

Cujuſvis hominis eſt errare: nullius niſi inſipientis in errore perſeverare.

Ne labores quàm multa reſpondeas, ſed quàm aptè, & in tempore.

Prandio tuo, & cœnæ, illos adhibe, qui te poſſint inſtituere, quique ſuavi ac doctâ collocutione pariter & exhilarent te, & peritiorem reddant.

Ex ſapientibus diſces, quo fias melior:
Ex ſtultis, quo fias cautior.

Annitere, ne ſola verba authoris quem legis intelligas, ſed præcipuè ſenſa.

Quo plura memoriæ commendabis, hoc cuſtodiet omnia fideliùs: quo pauciora, infideliùs.

Studio ſapientiæ nullus in vita terminus ſtatuendus eſt, cum vita eſt finiendum. Semper illa tria ſunt homini, quamdiu vivit, meditanda: quomodo bene *ſapiat*, quomodo bene *dicat*, quomodo bene *agat*.

Ab ſtudijs arrogantia omnis arcenda eſt. Nam ea quæ vel doctiſſimus mortalium novit,

non ſunt minutiſſimum eorum quæ ignorat. Exiguum quiddam, & obſcurum, & incertum eſt quicquid homines ſciunt,menteſque noſtræ in hoc corporeo carcere devinctæ,magna ignoratione,& altiſſimis tenebris premuntur:aciemque adeò retuſam habemus,ut nec ſummas penetremus rerum facies.

Profectui ſtudiorum plurimùm nocet arrogantia. Multi enim potuiſſent ad ſapientiam pervenire,ni jam putaſſent ſe perveniſſe.

Vitanda contentio, æmulatio invida, obtrectatio, inanis gloriæ cupido : quum in hoc ſequamur ſtudia,ut illa fugiamus.

Studia res lætas condiunt,triſtes leniunt, temerarios impetus juventæ cohibent, ſenectutis moleſtam tarditatem levant. Domi, foris, in publico,in privato,in ſolitudine,in frequentia,in otio,in negotio comitantur,adſunt, imò præſunt,opitulantur, juvant.

Non eſt deſpondendus animus, aut contrahendus reflante fortuna : quippe adverſis matutinis, interdum ſuccedunt proſpera veſpertina.

Nihil aliud eſt hæc vita, quàm peregrinatio, qua in alteram ſempiternam tendimus, pauciſſimiſque rebus ad hoc iter conficiendum egemus.

Fortunæ muneribus expleri, quid aliud eſt,

quàm peditem multis ſarcinis impediri, ac obrui.

Nemo eſt tam ſtupidè amens, qui non ſe illi civitati ad quam tendit, & ubi morari deſtinat, potiùs quàm itineri adornet, componatque.

Per Religionem Deus cognoſcitur; cognitus, fieri nequit aliter, quin ametur.

Mundus hic eſt velut domus quædam Dei, vel potiùs templum. Ipſe ex nihilo in hanc faciem, atque ornatum protulit.

Angeli, dæmones, homines, animantia, ſtirpes, lapides, cœli & elementa, cuncta denique Deo curæ ſunt, ac parent.

Nihil videmus fieri, nihil moveri, nihil contingere, ac ne ſtipulam quidem attolli ullam, aut floccum volitare extra Dei præſcripta, & juſſa.

Humana omnis ſapientia, ſi cum religione Chriſtiana conferatur, cœnum eſt, & mera ſtultitia.

Hanc noſſe, perfecta eſt ſapientia: juxta hanc vivere, perfecta virtus: ſed nemo verè novit qui non piè vivit.

Bonitas Chriſti, amorem elicit: Majeſtas ejus, cultum: Sapientia, fidem.

Corporalia opera fatua ſunt ante Deum, ni conditura ex animo addatur.

In occultiſſimis receſſibus, & procul ab omnium

nium oculis, atque adeo in corde ipso, atque in animo tuo scito te habere Deum arbitrum, testem, judicem omnium, etiam cogitationum tuarum, ut illius præsentiam reveritus, nihil non modò facias, sed nec in animum admittas nefarium, aut turpe.

Impium est in res sacras jocari, aut dicta sanctarum Scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata convertere: ceu quis medicinam ad salutem paratam cœno aspergat.

Sacris interfis, attentè ac piè, non ignarus quæcunque seu vides, seu audis, esse purissima & sacrosancta, spectareque ad immensam illam Dei majestatem; quam adorare facile est, comprehendere impossibile.

Quum Deum, Dominum appellas, fac illi servias: quum Patrem, fac ames: & dignum te præstes tanto Patre filium.

In citharœdo turpe est aliud ipsum ore, aliud fides ejus sonare: multò est turpius, quum Deo psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

Deus omnibus animantibus variam quotidie alimoniam sufficit, conservat omnia, & vindicat ab interitu, quò nutu suo tendunt.

Nihil veriùs datur Christo, quàm quod egenis datur.

Vbi lectum ingrederis, fac cogites, unumquemque

quemque diem imaginem esse humanæ vitæ, cui succedit nox, & somnus simulachrum mortis expressissimum.

Sapientissimus vitæ nostræ magister, nempe & author, unicum dedit ad vivendum documentum, ut *Amemus.*

Nemo invidet ei, quem amat: nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis indolet. Amor enim omnia reddit communia, suaque esse existimat, quæ sunt ejus, quem amat.

Longissimæ & obscurissimæ sunt in humano corde latebræ; quæ humana acies in tantam caliginem penetrabit?

Hominem tibi à Deo commendatum, si dignus est, ama, quia dignus est, quem ames: sin indignus, ama, quia Deus dignus, cui pareas.

Pacem, & amorem, & concordiam invexit Deus: Partes & factiones, & privatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dissidia, rixas, contentiones, bella, Diabolus peritissimus horum artifex.

Concordiâ etiam pusilla coalescunt; discordiâ maxima dissipantur.

Neminem irriseris, cogitans quod uni alicui accidit, posse cuivis accidere. Age potius Deo gratias quod te extra eam sortem posuerit, & ora, tum tibi ne quid tale accidat, tum illi sic afflicto saltem remedium aliquod, vel æquum

animum

animum,& ipse subveni,si potes.

Nullæ sunt certiores opes, quàm certæ amicitiæ. Nullum potentius satellitium, quàm amici fideles.

Solem è mundo tollit, qui è vita amicitiam.

Vera,& solida, & duratura amicitia tantummodò est inter bonos, inter quos facilè amor coalescit.

Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.

Vt ameris certissima & brevissima est per *amorem* via. Nihil enim sic amorē elicit, ut amor.

Amicitiæ venenum, si ames tanquam osurus, & amicum sic habeas, ut putes posse inimicum fieri.

Ne in alienas vitas inquiras, neve curiosus scruteris quid quisque agat: multæ hinc suboriuntur simultates. Præterea stultum est alios probè nosse, seipsum ignorare.

Convicium convicio regerere est lutum luto purgare.

Assentatio deforme vitium: turpe, illi qui dicit; perniciosum, ei qui audit.

Sermone utitor modesto, civili, comi: non aspero, non rusticano, vel imperito, sed nec accurato, aut affectato nimis.

Ne celeritatem in loquendo nimiam suscipias, nec cogitationem prævertant verba: nec respondeas, antequam qua de re plenè intellexeris,

eris, & quid ille, cui respondes, dixerit senseritque.

Rarissimum debet esse pervulgatum illud, *Quicquid in buccam*, ac nescio an usquam admittendum, quum inter amicos cavendum sit, ne quid dicamus, quod amicitiam dirimat aut lædat.

In differendo ne sis contentiosus aut pertinax. Si verum audias, hoc protinus silentio reverere, illique tanquam divinæ rei assurgito.

Sin non audias, nihilominus concede hoc vel amico, vel modestiæ tuæ, præsertim ubi nullum neque probi mores detrimentum accipiunt, neque pietas.

Quod taceri vis, prior ipse taceas: sin detecturus es, vide etiam atque etiam cui.

Nec mendax sis, nec mordax.

Si mendacem te homines norint, nemo credet tibi, etiamsi affirmes verissima.

Contrà si veracem, majorem habebit fidem nutus tuus, quàm aliorum sanctissimum jusiurandum.

Miser is est qui id egit, unde extricare se non potest, nisi per mendacium.

Ne expectes dum necessitates ad te suas familiaris amicus deferat; tu illas odorare, & ijs ultrò subvenias.

Parentes non amabis solùm, sed secundùm

Deum

Deum unicè venerabere.

Crede te illi eſſe charum à quo amicè reprehenderis. Nec unquam reprehenſionem obeſſe puta vel inimici. Nam ſi vera objicit, oſtendit quod emendemus: ſin falſa, quod vitemus: ita ſemper vel meliores reddit, vel cautiores.

Eſto in admittendis ad familiaritatem cunctantior: in retinendis ſemel admiſſis conſtantior.

Ex beſtijs exitiabilis maximè inter feras, *Invidia*; inter manſuetas, *Adulatio*.

Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.

Natura noſtra in malum fertur prona: ad virtutem autem acclivis eſt, atque ardua ſemita.

In minores præbe te comem: in majores reverentem: in pares facilem ac tractabilem.

Si virtute non excellis, cur poſtulas videri alijs potior? Si excellis, cur affectibus moderandis non pluſquam vulgus præſtas?

Oculus Domini ſingula intuetur; ipſe novit & *facientem* injuriam, & *patientem*.

Pluris facias judicium conſcientiæ tuæ, quàm voces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita & ſtulta eſt: ignota temerè ut probat, ſic & damnat.

Fama nec profutura malo, nec læſura bonum.

Mortuus quid plus referes de famâ, quàm pictura Apellis laudata? aut equus in Olympia victor? nec vivo quidem prodest, si eam ignorat: si novit, nihil adfert aliud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

Conscientia magna est hujus vitæ magistra.

Qui numinis curam abjiciunt, ut audaciùs, & securiùs peccent; ij dupliciter sunt mali, quòd nec homines reverentur, nec Deum.

Conscientia ista effusè delinquit, quæ nullo metu coercetur.

Laborem pro æterno & cœlesti præmio, quis nisi amens refugiat? quum nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur.

Peccatum hominis mors est, ut jugulare seipsum videatur quisquis peccat. Abducit enim se à Deo vitâ nostrâ, & à quiete conscientiæ suæ, qua nihil est beatius.

Vt unus dies humanæ vitæ præferendus est longissimæ ætati corvi aut cervi: ita dies unus ex religione actus, hoc est, divinæ vitæ, toti æternitati sine religione est anteponendus.

Facetiæ

Facetiæ, & argutè dicta.

PVblius ubi Mutium imprimis malevolum solito tristiorem vidisset, *Aut Mutio* (inquit) *nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.*

Augustus Cæsar exceptus à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana (nam penè nulli se invitanti negabat) post epulum inops, ac sine ullo apparatu discedens, valedicenti hoc tantùm insusurravit: *Non putabam me tibi tam familiarem.*

Interroganti quanam hora diei prandendum esset? Diviti, inquit, *ubi velit*, pauperi *quum possit.*

Diogenes interrogatus, quo vino maximè delectaretur, *Alieno*, inquit.

Quidam rogabat unde palleret aurum? Diogenes respondit, *Quia nusquam non haberet insidiatores.*

Diogenes Myndum profectus, quum vidisset portas ingentes, urbem verò exiguam, *O viri*, inquit, *Myndi, portas occludite, ne quando urbs vestra egrediatur.*

Prandebat in foro Diogenes: Proinde ab his qui astabant, canis appellatus: *Vos*, inquit,

quit, *canes estis, qui me prandentem circumstatis.*

Scorti cujusdam filio lapidem projicienti in concionem: *Cave*, inquit, *ne patrem ferias.*

Dionysius Syracusanus, detracta veste aurea Iovi Olympio, palleum ei laneum injecit, atque rogatus, quid ita faceret? *Quoniam*, inquit, *æstate gravis est aurea vestis; hyeme frigida, laneum verò indumentum utrique tempori multò aptius.*

Idem Dionysius quum Æsculapio barbam auream demi jussisset, affirmavit, *Non convenire ut hujus pater Apollo imberbis, ipse verò, qui filius esset, barbatus conspiceretur.*

Fur quispiam Demosthenis lucubrationes, ejusque scriptiones paulò petulantiùs irridebat. Cui ille, *Scio*, inquit, *me tibi molestum esse quòd noctu lucernam accendo.*

Quum Lacon uxorem duxisset perpusillam, lepidè dicebat, *E malis, quod minimum esset, eligendum.*

Quum adolescens quidam nimio luxu ad inopiam redactus, oleas in cœna esitaret, Diogenes fortè præteriens, *Si sic pransus*, inquit, *esses, non ita cœnares.*

Medicus quidam imperitus, quum Pausaniæ diceret, Qui fit, ô bone vir, quòd nihil mali

mali habeas? *Quia*, inquit, *te medico non utor.*

Galba rogatus à quopiam ut utendam daret penulam, festivè respondens, *Non pluit*, inquit, *non opus est tibi*; *si pluat, ipse utar.*

Quum Aristoteles jam annos natus ferè sexaginta duos adeò laboraret, ut admodum tenuis vitæ spes superesset, convenerunt ad illum discipuli rogantes, ut ex ipsis aliquem deligeret, qui in locum ejus succederet. Inter auditores erant duo præcipui, Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Aristoteles respondit se, quod petebatur, facturum, ubi daretur opportunitas. Paulò pòst, quum rursus ad eum eadem de causa convenissent, dixit vinum quod biberet sibi parum esse commodum, ac quæri jussit Exôticum, vel Rhodium, vel Lesbium. Id simulatque curatum est, gustato Rhodio, dixit: *Firmum hercle vinum & jucundum.* Mox gustato Lesbio: *Utrumque*, inquit, *egregiè bonum, sed Lesbium suavius.* Id ubi dixit, nulli dubium fuit, quin lepidè simul & verecundè successorem sibi ea voce, non vinum delegisset: Probavit utrumque, nec tamen auditoribus elegendi jus ademit.

[Sed

[Sed Græcus sermo plusculum habet civilitatis: quod οἶνος, id est, vinum, sit generis masculini: ut hæc vox, ὁ λέσβιος ἡδίων, possit & ad personam accommodari.]

Quidam è familiaribus Adriani Sophistæ miserat illi pisces in disco argenteo, picturato auro: at ille delectatus vasculo, non remisit, tantùm ei, qui miserat, respondit: *Bene facis quòd etiam pisces:* quasi discus esset dono missus, pisces tantùm novitatis gratiâ additi. Quidam autem dicunt joco factum, ut castigaret discipuli vitium, qui sordidior esse dicebatur.

Pollio dicebat, commodè agendo factum est, ut sæpe agerem: sed sæpe agendo factum est, ut minùs commodè: quia scilicet assiduitate nimia *facilitas* magis, quàm *facultas*, nec fiducia, sed temeritas paratur. Quod accuratè factum velimus, raro faciendum est.

Philoxenus quondam cœnans apud Dionysium, quoniam animadvertebat regi appositum piscem Mullum insigni magnitudine, quum ipsi appositus esset perpusillus. (In piscium enim genere laudantur adulti) pisciculum auribus admovit. Id factum admiranti Dionysio causamque percontanti: *In manibus*, inquit, *est Galatea, de qua volebam*

lebam ex hoc quædam percontari. Verùm negat ſe per ætatem quicquam adhuc ſcire, ſed ait proavum ſuum iſtic eſſe in tuo diſco, qui multa poſſet commemorare ſi liceat alloqui. Exhilaratus rex miſit illi ſuum Mullum.

Cuculo minores aviculas percontanti, cur ipſam fugerent : *Quoniam*, inquiebant, *ſuſpicamur te aliquando futurum accipitrem.* Coccyx enim ſpecie non multum differt ab accipitre. [Cavendum ab ijs, qui tyrannidis ſpecimen moribus edunt.] Ex Plutarch.

Quum Antiſthenes ipſe ſalſamenta per forum geſtaret, id quibuſdam admirantibus quòd Philoſophus officio tam ſordido fungeretur, idque in publico, ac non potiùs ſervo delegaſſet : *Quid*, inquit, *admiramini? Hæc mihi porto, non alijs.* Sentiens nullum eſſe ſordidum obſequium quod ſibi quis impenderet : dein non eſſe indecorum, eum portare ſalſamenta, qui ſalſamentis veſceretur.

[Stilpo videns Cratetem hybernis menſiſibus frigore rubentem : Δοκεῖς, inquit, μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. Lepos qui eſt in vocis ambiguo, Latinè reddi non poteſt : καινοῦ conjunctim, ſonat novo, &

καὶ νοῦ

καὶ νοῦ disiunctim, sonat & mente: Discrimen auribus vix sentiri potest, scripto potest ostendi. Videris, inquit, egere pallio novo, sive pallio & mente. Novum requirebat gelu; mentem Cynici stultitia, qui vestem non accommodaret tempori.]

Menedemus Eretriensis percontanti cuidam, an patrem cædere desijsset, respondit: Neque cæcidi, neque desij. Quum alter subjecisset, oportere solvere ambiguitatem per ναὶ & οὐκ, aut affirmando, aut negando: Ridiculum, inquit, est vestras sequi leges, cùm liceat in portis occurrere. Alter captabat illum insidiosa percontatione: sive enim respondisset, desij, sive non desij, agnovisset crimen. Ille hoc præsentiens exclusit sophisticum cavillum.

Bion rogatus essétne ducenda uxor: *Si deformem*, inquit, *duxeris, habebis pœnam: sin formosam, habebis communem.* [In Græcis vocibus plusculum est jucunditatis, ποινὴν & κοινὴν. Nec minùs Latinis inest, si hanc dicamus, suspectam: illam despectam.]

[Epictetus Philosophiæ summam duobus verbis comprehendere solitus est, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *Sustine & Abstine*: quorum prius admonet, ut mala, quæ incurrunt,

runt, æquo animo toleremus: posterius, ut à voluptatibus temperemus. Ita enim fiet, ut nec adversis dejiciamur, nec prosperis corrumpamur.

Heraclitus Ephesius dicebat cives non minùs oportere pugnare *pro legibus*, quàm *pro mœnibus*. Quòd absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque mœnibus possit.]

Galba corpus habens gibbo deforme, de quo vulgò jactatum est, *Ingenium Galbæ malè habitare*; quum apud Cæsarem causam agens subinde diceret: Corrige me Cæsar, si quid in me reprehendendum videris: *Ego*, inquit, *Galba monere te possum: corrigere non possum.*

Quum plærique rei quos Severus Cassius accusabat, absolverentur; &. is cui Cæsar forum extruendum locârat, diu traheret illum operis expectatione: *Vellem*, inquit, *Cassius & forum meum accusasset.*

Narrant Alexandrum Magnum astantem Diogeni, quæsisse ab eo, num ipsum metueret. At ille: Quid es? Bonum an malum? Alexander respondit; Bonum. *Quis*, inquit, *timet bonum?* [Convicit regem non esse metuendum, nisi se ma-

D luin

lum esse profiteretur.]

Quum Diogenes in dolio, sicco mucidoque pane vescens solus, audiret totam urbem lætitiâ perstrepentem (erat enim dies festus) sensit animo nonnihil tædij, diuque secum de relinquendo vitæ instituto cogitavit. Sed quum tandem mures videret adrepentes, panisque micas edere: *Quid tibi displices*, inquit, *ô Diogenes, sat magnificus es, ecce etiam parasitos alis.*

Quidam in publico gestans longam trabem, per imprudentiam percusserat Diogenem, moxque ex more dixit: Cave. At Diogenes, *Num*, inquit, *me vis iterum percutere?*

Diogenes quodam tempore quum diutissimè legens, tandem eò venisset, ut videret chartam vacuam, *Bono*, inquit, *animo estôte viri, terram video.*

Alexander Thrasyllo Cynico petenti drachmam, Non est, respondit, munus regium. Cynico subjiciente: *Talentum igitur da: At non*, inquit, *Cynicum tale munus accipere.* [utroque cornu repulit postulatoris improbitatem, quem existimabat nullo dignum beneficio.]

Faustus Syllæ filius, in sororem, quæ eodem tempore cum duobus adulteris habere

beret consuetudinem, Fulvio Fullonis filio, & Pompeio cognomine Macula, facetissimè lusit: *Miror*, inquit, *sororem meam habere maculam, quum Fullonem habeat.*

Vespasianus reprehendenti filio Tito, quòd etiam urinæ vectigal commentus esset, *Pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur*, & illo negante, *atqui*, inquit, *è lotio est.* Hinc illud, Bonus odor lucri ex re qualibet.

Virgilius vates suspirabundus ubique observatus est. Vnde facetum illud Augusti responsum, inter hunc ipsum sedentis, & Flaccum Horatium, qui oculorum lippitudine laboravit, rogatus à quodam amicorum, quid ageret, *Sedeo*, inquit, *inter suspiria & lachrymas.*

Diverterat aliquando quidam, peregrè iter faciens, ad diversorium, ubi apposita est ei cœna omni ex parte olitoria, vinum item dilutissimum, omnia demum administrata parcissimè. Postquam autem cœnasset, jussit vocari ad se medicum ad mercedem capiendam. Caupo respondit: Ecquid, malùm, in viculo maximè agresti medicum requiris? Tum ille, númne, ô

 bone,

bone, tete ipsum ignoras? Quo merces operæ tuæ par sit, medici precium accipe, non caupônis, quando ut ægrotum me pavisti in cœnula.

Pyrrhiniculus Vasco ad hospitium quoddam diverterat, atque appositâ mensâ anaticulam versabat in lancibus perbellè unctam, atque alliatam. Ingreditur derepentè ad illum viator hispanus, injectisque in anaticulam oculis, Potes, inquit, ô amice, advenientem comiter amicum accipere. Tum Pyrrhiniculus, quo nomine ipse esset exquirit. Audenter ille, ac jactabundus, *Alopantius*, inquit, *Ausimarchides. Hiberoneus Alorchides. Pape, tum Pyrrhiniculus, quatuórne avicula hac heroîbus, & quidem Hispanis? Absit injuria.* Ea Pyrrhiniculo satis est uni: minutos enim decent minuta. Ex Pontano.

Diogenes cùm ridere vellet imperitum sagittandi hominem, scopo se admovebat; rogatus cur ita faceret, *Ne me feriat*, inquit.

Puer Florentinus & argutus & perurbanus, adductus ante sacerdotem Cardinalem jocandi gratiâ, multa cùm facetè admodum, nec minùs etiam scitè dixisset, sacerdosque ipse ad amicum qui astabat conversus, susurrasset

ſurraſſet hujuſmodi pueros conſueſſe ubi ad ætatem pervenilſent robuſtiorem, ingenio ſubcraſſeſcere. *Næ*, inquit, *O bone Cardinalis, puerulum te oportuit ſcitum fuiſſe admodum.*

Quidam caneſcens ab Adriano Cæſare quiddam petierat, & repulſus eſt. Is cùm aliquanto poſt idem peteret, ſed capillitio nigro (nam id tinctura fecerat) Cæſar agnoſcens faciem: *Iſtuc*, inquit, *negavi patri tuo.*

Quum Minutius hoſtium inſidijs ſeptus in ſummo eſſet periculo, ne cum ſuis copijs periret, Fabius è monte movens exercitum venit illi auxilio, multiſque trucidatis hoſtibus ipſum eripuit. Hoc facto Hannibal ad ſuos dixit: *Nonne vobis ſæpenumerò prædixi fore, ut illa montana nubes nobis aliquando tempeſtatem immitteret?*

Iulia Auguſti filia quum patrem ſalutaret, ſenſerat illius oculos licentiore cultu offenſos, licet ille diſſimularet: itaque poſtero die, mutato cultu patrem complexa eſt. Tum Cæſar, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudium continere non potuit. Et quanto magis, inquit, iſte cultus decet Auguſti filiam. Tum illa: *Nimirum*

mirum hodie me patris oculis ornavi, heri viri.

In ſpectaculo gladiatorum converterant in ſe populi oculos Livia & Iulia, comitatus diſſimilitudine: Liviam cingebant viri graves, Iuliam juvenes luxurioſi comitabantur. Pater Iuliam admonuit ſcripto, videret quantum inter duas principes feminas intereſſet. Illa reſcripſit: *Et hi mecum ſenes fient.*

Auguſtus etiámnum adoleſcens lepidè tetigit Vatinium: ſiquidem is podagræ obnoxius, videri ſtudebat diſcuſſiſſe vitium, ac jam mille paſſus ambulare ſe gloriabatur. *Non miror*, inquit Cæſar, *dies aliquantò ſunt longiores.*

Quiſpiàm præfectura Equitum ſubmotus, inſuper & ſalarium ab Auguſto poſtulare eſt auſus, hoc colore, ut diceret ſe non lucri cauſâ ſalarium petere, ſed ut tuo, inquit, judicio videar impetraſſe munus, & ita credar non ab officio ſubmotus, ſed òfficium depoſuiſſe: *Tu*, inquit, *Auguſtus, apud omnes prædica te accepiſſe, ego non negabo.*

Domitianus Cæſar initio principatus quotidie ſibi ſecretum horarium ſumere conſuevit, nec interim aliud quàm muſcas

captare, easque stylo praeacuto configere: ut cuidam interroganti, essétne quis intus cum Cæsare, *Vibius Crispus lepidè responderit: Ne Musca quidem.*

Quum tres essent designati, qui legati proficiscerentur in Bithyniam, quorum unus podagrâ teneretur, alter caput haberet vulneribus confossum, tertius vecordia laborare videretur, Cato ridens dixit: *Populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor.*

Quum œconomus Lucullo cœnam modestam apparâsset, accersitum objurgavit: illo dicente, Non putabam sumptuoso apparatu opus esse, quum solus esses cœnaturus: Quid ais, inquit Lucullus? *An ignorabas apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum?*

Idem quum Græcos quosdam per dies aliquot magnificè tractasset, atque illi dicerent se mirari, quòd tantum impendiorum suâ causâ faceret: *Nonnihil, ô hospites, vestrâ causâ, sed maxima pars Luculli gratiâ.*

Scipio Nasica quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset eum domi non esse, Nasica sensit illam hoc domini jussu dicere, & illum

intus esse. At tum quidem dissimulans abijt. At paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, cumque à janua quæreret, exclamat ipse Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, Quid? Ego, inquit, non agnosco vocem tuam? Hìc Nasica: *Næ tu homo es impudens, ego quum te quærerem ancillæ tuæ credidi, tu mihi non credis ipsi?*

De Vespasiano patre narrat Suetonius, quum scurram multa in alios jacientem, provocasset, ut in se quoque diceret aliquid: *Dicam*, inquit, *ubi ventrem exonerare desieris:* alludens ad formam Cæsaris, qui faciem habebat nitentis ——

Memoratur de Beda, quem Venerabilem dicunt, cui Romam profecto quum ostendissent has litteras saxo insculptas, S.P.Q.R. quibus significari volunt, Senatus Populusque Romanus, ac veluti hospes rogaretur, quid sibi vellent illæ litteræ, dissimulans dixit: *Stultus Populus Quærit Romam.*

Philoxenus Poëta interrogatus cur in tragœdijs induceret mulieres malas, quum Sophocles eas induceret bonas, argutissimè respondit: Quoniam, inquit, *Ille tales inducit quales esse deberent; Ego, quales sunt.*

Idem

[Idem apud Sythonem amicum suum prandens, appositis oleis, quum paulò pòst inferretur patina piscium, percusso vasculo quod habebat oleas, Homericum hemistichium dixit: μάστιξεν δ' ἐλάαν, id est, scutica incitavit ut traherent. Nam de auriga dictum est. Sensit autem Philoxenus, oleas quamprimùm auferendas, alludens interim ad Græcam vocem ἐλαιῶν, quæ sonat *olearum*, & ἐλάαν, quod sonat trahere currum, aut aliquid simile.]

Idem vocatus ad convivium, quum esset appositus ater panis: *Cave*, inquit, *multos apponas, ne facias tenebras.*

Phryne ætate florens, in convivio, cui complures aderant fœminæ, (quum juxta morem joci convivalis quod unusquispiam faceret, idem omnes facere cogerentur) prior manum bis aquæ immersam admovit fronti. Quoniam autem omnes erant fucatæ, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum specie vultus omnium deformabat, quum ipse interim Phryne, quæ naturali formâ pollebat, speciosior etiam apparebat diluta facie.

Cornelia Gracchorum mater, quum Campana matrona illius hospitio utens, ornamenta sua quibus illud seculum nihil habebat

habebat pulchrius, ipsi ostenderet, traxit eam sermone donec liberi redirent è schola: *Tum & hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Sentiens matronæ nihil esse pulchrius, neque preciosius, quàm liberos rectè educatos.

Omnibus Dionysio Tyranno exitium imprecantibus, una fœmina anus quotidie diluculo deos comprecari solebat, ut esset incolumis & superstes. Accita à rege mulier rogata est, unde tanta in regem benevolentia? Quoniam, inquit, quum puella essem, & gravem tyrannum haberemus, optabam mortem illius. Eo interfecto, deterior arcem occupavit. Et hujus exitium optabam. *Nunc quum te habeamus, superioribus etiam graviorem, vereor ne si tu pereas succedat etiam deterior.*

Demonax Cynicus interrogatus quid sentiret de conflictu duorum, quorum alter ineptè proponebat, alter absurdè respondebat, ait, sibi videri *alterum mulgere hircũ, alterum supponere cribrum.*

Socrates quum Xantippen diu rixantem tulisset in ædibus, ac tandem fessus consedisset ante fores, illa magis irritata quiete & lenitate viri, de fenestra perfudit eum lotio. Ridentibus qui præteribant,

&

& ipse Socrates arridebat, dicens : *Facilè divinabam, post tantum tonitru sequuturam pluviam.*

Socrates Alcibiadi demiranti quòd Xantippen supra modum rixosam domi perpeteretur, respondit : Nonne tu Alcibiades domi tuæ toleras gallinarum tuarum glocientium strepitum? Tolero, inquit, sed gallinæ mihi pariunt ova & pullos : *Et mihi*, ait Socrates, *mea Xantippe parit liberos.*

Curtius eques Romanus delitijs diffluens, quum apud Cæsarem cœnaret, macrum turdum sustulit è patina, cumque tenens, interrogavit Cæsarem, liceréne mittere; quumque is respondisset, quidni liceat? *Ille protinus avem misit per fenestram, iocum arripiens ex ambiguitate verbi.* Nam apud Romanos erat solenne cibum è convivio dono amicis mittere.

Augustus salutatus à Psittaco, hunc emi jussit. Idem miratus in pica, & hanc mercatus est. Hoc exemplum tenuem quendam homuncionem sortis infimæ sollicitavit, ut Corvum instituerct ad hujusmodi salutationem. Qui quum impendio exhauriretur, subinde ad avem non respondentem dicere solet : *Opera & impensa periyt.*

Tandem

Tandem pervicit assiduitate, ut Corvus sonaret dictatam salutationem. Ea quum Augustum prætereuntem salutasset: Cæsar, satis, inquit, istiusmodi salutatorum habeo domi. Tum Corvus memor & illorum verborum, quæ toties audierat, subtexuit: *Opera & impensa periit.* Ad hoc arridens Augustus, jussit avem emi, quanti nullam adhuc emerat.

Adolescens quidam provincialis Romam venerat, oris similitudine tam mirificè referens Augustum, ut in se populi totius oculos converteret. Cæsar, hoc audito, jussit ad se perduci, eumque contemplatus, hunc in modum percontatus est: Dic mihi adolescens, fuitne aliquando mater tua Romæ? *Negavit ille, ac sentiens jocum retorsit, adjiciens: sed pater meus sæpe.*

Equite Romano quodam defuncto, compertum est illum tantum habuisse æris alieni ut solvere nullo modo posset: idque dum viveret, celaverat. Quum igitur res illius auctioni subjicerentur ut ex pecunia aliquibus ejus creditoribus satisfieret, Augustus jussit sibi emi culcitram illius cubicularem: ac mirantibus hoc preceptum: *Habenda est,* inquit, *ad*

somnum

ſomnum mihi conciliandum illa culcitra, *in qua ille tanto ære alieno obſtrictus ſomnum capere potuit*. Nam Auguſtus ob ingentes curas ſæpe maximam noctis partem ducebat inſomnem.

FINIS.